



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et  
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1647**

Serenissimo Et Reverendissimo Domino Domino Maximiliano Henrico,  
Vtrivsqve Bavarizæ Dvci, ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)



SERENISSIMO ET REVEREN-

DISSIMO DOMINO DOMINO

MAXIMILIANO  
HENRICO,

VTRIVSQUE BAVARIÆ

DVCI; SERENISSIMI ET REVE-

RENDISSIMI FERDINANDI ARCHIE-

PISCOPI ET ELECTORIS COLONIEN-

SIS V. B. DVVIS

COADIUTORI, &c.

PRINCIPI AC DOMINO SVO

*Clementissimo.*



RIVATIS duntaxat lit-  
teris officium gratula-  
tionis colui, cum ante  
aliquot annos, in SE-  
RENITATE VESTRA  
eligenda, virtus & cal-  
culus conspirarent. Nunc, publica  
voce & nomine, id ipsum præsto: si-  
lentium enim mihi imperare, non  
potui, in tanta loquendi opportuni-

A 2

tate,



tate. Cuius rei multæ mihi præterea suppetunt causæ. Obedientia, obseruantia, spes publica, ipsum libri argumentum, me impellunt. Nam & Superiorum meorum iussu; & meo affectu; & Bauariæ, quam SERENITAS VESTRA denuo relinquit, gemitu; Coloniaque, quam repetit, applausu; & Prodigiis, quæ afferro, monitu excitat, ad hunc meum, seu felicem, seu infelicem partum, vel in manus, vel ad pedes SERENITATIS VESTRÆ deponendum.

Superiores mei, laudatæ, apud Persas, consuetudinis non immemores, Principem suum hac transire in salutatum noluerunt. Et merito Principem suum agnoscunt, Fundatorum suorum nepotem. Sufficit illis, SERENITATEM VESTRAM ex hac radice prodijisse; quæ, vt citò benefacere inciperet, jam in stirpe sua benefecit.

Animi autem mei affectus is est, vt non salutare tantum, ac verba dare, sed



## DEDICATORIA.

sed re quoque ipsa, atque munere aliquo, mentem existimationemque meam Mundo exponere cupiam; & munere sanè magno, si facultas voto responderet. Verùm quia honorarium maius esse non potest, quàm ærarium; itidem cum Persâ, pomum offero, non caballum; hoc est, donum exiguum Principi magno, & ad magna nato; vt ei non ab Authore ac donante, sed ab accipiente accedat magnitudo. Neq; paruum sanè munus quoque ipsum foret, si illud ex voluntate æstimaretur. Ex quo tempore SER.<sup>tem</sup> V.<sup>ram</sup> noui, præcipuum erga illam affectum assumpsi; animaduerti enim, illi non solùm Palladem in capite, sed etiam in pectore Virtutem habitare. Indoles erat, quam amarent omnes; ingenium, quod omnes optarent; amor litterarum, quem omnes suspicerent; in adolescentia virilis maturitas; mirifica, in tantâ sanguinis eminentiâ, morum



EPISTOLA

suauitas; superabat ætatem prudentia; denique, ante annos, studia illius, illius merita prodiderunt: neq; alibi vsquam verius fuit, in summis omnia summa reperiri. Cuius affectum non traherent ista? Quæ si omnia non fuissent, SER.<sup>tas</sup> V.<sup>ra</sup> ipso suo affectu meum meruisset. Prosequar igitur quantum licet; &, quia pedibus non possum, saltem in libro hoc meo, abeuntem SER.<sup>tem</sup> V.<sup>ram</sup> comitabor.

Factum hoc meum probabit Ba-  
uaria, Colonia laudabit: illa quidem,  
quoniam, quem ægrè à se dimittit,  
libenter intelliget, bonis alitibus vo-  
tisq; in via procedere; ista autem,  
quia lætabitur, si audiet, acclamatum  
esse illi proficiscenti, quem cum ma-  
ximo applausu est exceptura. Mau-  
ritaniæ rex Atlas, qui, ob peritiam si-  
derum, à Poëtis fingitur, cælum hu-  
meris gestasse, quamuis de corporis  
& animi robore *ferreus* diceretur, ta-  
men



## DEDICATORIA.

ment tantæ molis immensitate præ-  
 sus Herculem sibi fertur sociasse, in-  
 quem diu sustentatum pondus reclinaret; ne, si ipse succumberet, illud quoque baiulo destitutum prolaberetur. Hac eâdem mihi videntur providentiâ vsi, qui quanquam scirent, sibi Atlantem in FERDINANDO non deesse, tamen temporum nostrorum tempestatem intuentes, considerata-  
 que rerum mortalium vicissitudine, sibi maturè de Hercule aliquo prospexerunt, in cuius humeros & lacertos Ecclesia Colonensis recumberet. Itaque SER.<sup>tem</sup> V.<sup>ram</sup> inuen-  
 runt, cuius cum genus & Genium, laborem & industriam, virtutem & felicitatem etiam atque etiam considerarent, haud immeritò existimarent, se Herculem reperisse, qui Atlanti posset succedere, & par esse tanto oneri sustinendo. Neque fefellit eos opinio. Latere non potuit splendor; sed nunc *lucerna super candelabrum*



LA EPISTOLA

*brum posita* longè latiùs clariùsq; ra-  
 dios suæ lucis effundit. Vt enim Her-  
 culem labores & certamina fecerunt  
 celebrem; ita & SER.<sup>tem V. ram</sup> pas-  
 sim occurrentia circumstantiaq; vn-  
 dique & vndique pericula, & mille  
 Hydre imperterritam illustrauerunt.  
 Quæ nisi laudes mereri, quàm audi-  
 re, mallet, quid hîc non posset dici?  
 quæ non solatia Parentis, gaudia Pa-  
 trui, Patriæ decora, totius Germaniæ  
 virtutem admirantis encomia com-  
 memorari? Grande compendium  
 est, SER.<sup>tem V. ram</sup> *Sapientia* MAXIMI-  
 LIANVM, *castitate atque integritate*  
 HENRICVM appellari. Multum di-  
 xit, qui hæc duo dixit. Ob quæ SE-  
 RENITATEM VESTRAM Bauaria ægrè  
 dimittit, Rhenus cum gaudio acci-  
 pit; ego cum vtrisque vel plango, vel  
 plaudo; quia video in magnum glo-  
 riæ testimonium, vno eodemque iti-  
 nere, alios oculos ficcari, alios hu-  
 mectari.

Ad



## DEDICATORIA.

-II Ad argumentum libri mei quod  
 attinet, cupit id ipsum ire ad VESTRAM SERENITATEM. Omnes  
 historiae testantur, *Monstra & mon-  
 strosa*, ad Magnos afferri consuevis-  
 se, qui non solum raris ac mirabili-  
 bus rebus conspiciendis delectantur,  
 verum etiam plerumque ipsi vel vir-  
 tutum sunt prodigia, vel vitiorum.  
 SERENITAS VESTRA ut in melio-  
 rum esset parte, maluit prodigiosae  
 virtutis, quam monstrosae temeri-  
 tatis habere admiratores; dum ita-  
 cam semper innocentia delectabat,  
 ut vanae omnes displicerent volupta-  
 tes. Nimirum non *Sirenes* tantum,  
 aut *Centauri* sunt monstra; sed mul-  
 to magis etiam *Vlysses inter Sirenes  
 surdus*, *Hercules indeiectus inter Cen-  
 tauros*; vel hinc caelo recipiendus,  
 quia inter tot aduersa sustinuit ca-  
 lum. Hanc viam VESTRA quoque  
 SERENITAS calcabit, cui hunc li-  
 brum dedico, ut meminerit, olim

A 5 de



EPIST. DEDICAT.

de se quoque libros scribendos; si-  
mulque opto & precor, vt faustis  
auihus proficiscatur. Ingolstadij.  
Anno Christi 1647. Cal. Iunij.

SERENITATIS VESTRÆ

*infimus Seruus*

GEORGIUS STENGELIUS  
SOC. I. E. S. V.